

los, Decemvirum adhibitis magistris, proponit, *Velle Julium* 1503
& petere, uti Ariminum & Faventia, quæ interceperint de
Romana ditione oppida, ea ipsi restituantur: rogare etiam, ut
ad reliqua recuperanda eum juvent: decrevisse enim, ne ulla
Cæsari turricula, cui imperet, relinquatur, sed omnia eo red-
eant, unde recessere. Patres questi, non esse hoc illud, quod
ob suam in Julium pietatem & studium ab eo expectarent,
rem ad Senatum deferunt. Senatus censuit legato respondi
oportere, Quod Ariminum & Faventiam respublica ceperit,
ea ab Cæsare homine importunissimo crudelissimoque cepisse,
Julio ipso, antequam Pontifex Maximus fieret, hortante, fa-
cto autem permittente atque assidente: eaque oppida, uti a
vicariis obtineri solita, republicam modo sua fecisse, reliqua
non attigisse: quæ si voluisse, non fuisse difficile capere; atque
retinere: eorum duorum oppidorum nomine se vicariam Roma-
næ reipublicæ velle esse, uti priores domini fuissent. quid in eo
Julius amitteret? quare ea sibi esse retinenda statuisse. Quod
ad eum ad reliqua juvandum attineret, suas omnes copias at-
que opes polliceri: eis ille tanquam suis uteretur. Hæc respon-
si lex. Illud autem, hortatorem Julium ejus negotii fuisse,
verissima Senatus oratio fuit: nam cum apud Julium Antonius
legatus Pii Pontificis regno in eum sermonem esset in-
gressus, ut de Cæsaris injustissima Flaminiae possessione que-
rereretur, auctor reipublicæ ejus magnopere consilii Julius fue-
rat. Iis de rebus sæpe ultro citroque datis ad legatum Ro-
mam literis & acceptis, Julio a sententia non recedente, af-
firmante interdum, potius, quoniam sibi ad bellum cum repu-
blica gerendum vires non suppeterent, se a Christianis regibus
auxilia contra eam imploraturum, quos sciret Romanae reipu-
blicæ opis eorum egenti nunquam defuisse; Antonio autem le-
gato ipsum illum ab eo nondum Pontifice habitum secum ser-
monem repetente, atque ut ejus reminisceretur, ab illo po-
stulante, cuius omnino rei Julius satis idoneam afferre excu-
sationem non poterat: tantum inquiebat, quæ non Pontifex
dixerit, ea se expendere non oportuisse.

Annus ad exitum labitur: itaque prima insequentis an-

1504

ni die Antonius oratione apposita & leni Julium satis hilas-

rem